

† NECROLOGIA †

† R. P. Fridericus Emmerling (1907 - 1936)¹

(Prov. Germ. Inf.)



Fer. VI, festo SS. Redemptoris 23 Oct. 1936, P. Emmerling, habita primum Berolini in nostra S. Alfonsi ecclesia ad parvulos primum confessuros catechesi, postea birota petiit aliam australis plagae coloniam recentem, ut ibi quoque idem opus salutis perficeret. Proficiscentem comitabantur laeta parvolorum vota. Eheu! post duo minuta viator noster plaustro grandi sua vi acto fortissime ad terram deiicitur, sex fere metra protrahitur, actatum necatur, mortifero vulnere in occidente recepto. Erat hora 5 pomeridiana.

Primum nemo scit, quis sit ille infelix homo. Publicae securitatis ministri cadaver tegunt

et hora 7 auferunt ad publicam talium victimarum custodiam. Demum post biduum carissimi confratris corpus exanimum nobis restituitur.

Infortunii autem loco, simulatque a circumstantibus catholicis compertum est agi de iuvene Patre Emmerling e Patribus ad S. Alfonsi, incredibilis luctus omnium animos pervasit. Praesertim cum corpus vehiculo

¹ *Analecta XIV* (1935), 33.

² Cfr. *Der Volksmissionar* 16 (1937), 17-19; *Nachrichten* 7 (1936), 91 sq.

publico aufertur, viri in singultus et lacrimas prorumpere; mulieres et parvuli acerbos clamores edere. Lamentabilis casus fama illico diffunditur, et h. 7.30 ad solitam functionem vespertinam ecclesia nostra piam multitudinem vix capere valet. *Defunctus adhuc loquitur* (Hebr. 11,4)! Idem spectaculum diebus insequentibus. Omnes sacramenta recipere gestiebant, ut ipsi in morte parati invenirentur et efficacius dilectae animae prodesse possent. Tantum vix aliqua missio efficere potuisset, quantum haec repentina mors.

Fer. III Missam exsequialem celebravit Vicarius foraneus R. D. Beyer, qui facere non potuit quin hac occasione confratres et fideles apposito sermone sacro consolaretur. Post meridiem autem funus quidam triumphus evasit. Praecesserunt 30 pueri ministrantes. Sequuntur omnes alii pueri puellaeque loci Marienfelde, flores gestantes, quos postea in arcam sepulchralem proiecere; dein iuventus magis adulta cum suis vexillis aliquique plurimi et 20 sacerdotes. Chorus ecclesiae nostrae sacros cantus cantabat. Ad apertum tumulum primi Redemptoristae Berolini emortui Adm. R. P. Superior Zimmermann verba repperit his adiunctis aptissima¹.

Miraberis profecto, quod P. Emmerling brevissimo spatio duorum mensium, quo Berolini stetit, tantam populi aestimationem dilectionemque sibi conciliare potuit. Praeter generalem, qua filii S. Alfonsi ibi circumdantur, benevolentiam, adsunt quoque rationes particulares, videlicet constans iuvenis Patris affabilitas et ad serviendum promptitudo; iuvenilis in sacro suggestu ardor, ad altare vero habitus gravis, pius, dignitatis plenus; tragicus vitae tanta promittentis exitus...

Fridericus Emmerling d. 25 Nov. 1907 ortum habuit in Westfaliae pago Untergrüne. Puer in schola fere semper primum occupabat locum. Primam s. communionem d. 7 Apr. 1918 pie recepit. Sequenti anno scholam medium vicini oppidi Letmathe frequentare coepit. Missio a PP. Redemptoristis in eius paroecia a. 1920 habita effecit, ut hic puer innocens, qui iam serio de sacerdotio cogitabat, exinde ad Congregationem nostram fortiter attraheretur. Etiam benefactor inventus est, quidam ludimagister, qui olim in iuvenatu fuerat et quasi loco sui huius egregii aspirantis patrocinium suscepit. Fridericus noster annis 1922–27 Bonnae, anno 1927–28 Luxemburgi, annis 1928–34 Hennefi (alias Geistingen) vixit, ubique exhibens formam, primum boni iuvenistae, dein novitii, tum clerici studentis.

¹ In ore defuncti posuit hos duos versiculos:

*O denk an mich; ich möchte heimwärts gehn!
Denk auch an dich; ich möcht dich wiedersehn!*

Biennium 1934–36 in domo Heiligenstadt transactum magnam spem, quam Superiores de eo ceperant, confirmavit, sicut etiam bimestre Berlinense. Omni spe terrestri per catastrophēn diei 23 Octobris exstincta, caelestes benedictiones ab hac anima electa sperare minime prohibemur. In ultima illa catechesi, de paradiſo loquens, dixerat parvulis suis: « Si ante vos moriar, videbo e caelo vos et anquiram, sitisne semper boni ». Have, pia anima !